



LUDOVICI CROCII D.

PROLOQUIUM
IN S. THEOLOGIAM,
DE RATIONE STUDII
THEOLOGICI.

CAPUT I.

De scopo.

Aphorismus I.

IDEAM Theologiae methodicae, cujus adminiculo salutaria fidei dogmata explicantur, confirmantur, defenduntur, animo suo comprehensurus, & secundum eam Deo feliciter operaturus, ante omnia suum sibi scopum sanctè praestituras & intendat, impedimenta fortiter tollat, media prudenter eligat & adhibeat, effecta deniq; hujus divini studii calidè desideret, ut animus à terrenis ad hoc veluti alis subvectus elevetur.

SCHOLION.

Quemadmodum enim viator, iter ingressurus, principio de certa meta cogitat, deinde verò declinatis aviis & remotis impedimentis, ad eam media itineraria ordinat ac dirigit: ita & Theologiae nostrae, quae viatorum est, studiosus sic sibi currendum ducat, ut in scopum, metamq; sibi praefixam perpetuò prospiciat, & sublatiis obstaculis atq; impedimentis, media ad eam rectà & sine errore atq; periculo ducentia circumspectè eligat & usurpet.

II. SCOPUS sive finis Theologiae studiosi est ob-
jectivus aut formalis. Ille est generalis, qui omni-
A bus